

1508 in eam cogitationem incumberent, ut Pisinum, Flumenque, Maximiliani oppida, sub reipublicæ imperium redigerentur: quorum alterum mediterraneum est, abestque a litore millia passuum XVI. multoque maximam inter Istros habet auctoritatem: Flumen ad mare positum plurimarum rerum copiam subministrat, estque illis gentibus & regionibus opportunissimum. Prætor etiam Tergestinis declaratus Franciscus Capellus: arcis præfectus, Aloisius Zanes: Vipao, qui utrunque munus exerceret, Marcus Antonius Erizus: qui Duino, Nicolaus Balbus: qui Cormonsi, Trojæus Bonus, paulo post ad magistratus obeundos in provinciam abierunt, cum antea Dominicum Gritum qui arcem custodiret, Senatus Goritiam misisset: nam oppido Justinianus Maurocenus a legato datus præerat. Senatusconsulto accepto cum Pisinum, quod est in monte tribus a partibus valde præcipiti situm, Contarenius classarios suos, & Liviani equitatus peditatusque magnam partem cum tormentis adduceret, castello Trevisa, quod est in via quinquemillia passuum a Pisino, seque magno animo ad defensionem comparaverat, vi capto atque direpto, omnes celeriter ad Pisinenses oppugnandos contenderunt: tormentisque prima vesperi positis, eam muri partem, quæ una ex quatuor adiri poterat, velle dejicere cœperunt. Id cum mane postero die acrius continentiusque fecissent, ac portæ turrim prope aperuissent, oppidani una salutis conditione impetrata deditioem fecerunt. In ejus oppidi finibus castella erant decemseptem: quorum sexdecim sub reipublicæ ditionem sunt redacta. At cum Vipaum indiligentius custoditum hostes recuperavissent, præfectumque cepissent, Vipaenses postea, missis eo militibus, iterum capti ac direpti sunt. Præsidio Pisinensibus relicto, Contarenius ad Phanatici finis insulas se contulit, atque ex Apforo, Crespa, Vegio reliquisque plus mille armatis hominibus naves longas conscendere jussis, ad Flumen oppugnandum rediit: cumque mille passus ab oppido abesset, qui oppidanos uti se dederent postularet misit: si se cingi ab exercitu sinerent, quem